



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-348280-p0001-6

DFG



1796, 1  
22

DE  
ULTIMIS SUPPLICIIS  
IN  
HOMICIDII REOS IURE CONSTITUENDIS.

---

DISPUTATIONE M

ILLUSTRI IURISCONSULTORUM KILONIENSIMUM ORDINI  
SUMMORUM IN UTROQUE IURE HONORUM  
CAPESSENDORUM CAUSSA

PROPOSUIT

HENRICUS FRIDER. CHRIST. CLAUSSEN,  
CHILONIENSIS.

---

CHILONII MDCCXCVI.

EXCUEDEBAT CHRISTIANUS FRIDERICUS MOHR.

*Nr. Abgab. 2. Dm. 1800  
2 R. 00*



**C**um, ambienti mihi summos in iure honores, secundum receptum a maiores  
ribus morem, emitenda esset in lucem publicam Dissertatio, quam vocant,  
Inauguralis, constitueram equidem primo sententiam de non usu decreti  
D. Marci et poenae privationis in facti viam statutae, disputatione olim  
Claprothiana ventilatam, in quam deinceps plerique huius aevi Iuris-  
consulti, in his, ut alios taceam, Dabelovius, Hugo, Kretsch-  
mannus, transferunt, quanquam huius ipsius Decreti vis atque auctoritas  
non solum Imperii legibus et praecipue O. C. anni 1521. tit. 32. §. 2.  
vindicetur, sed eiusdem etiam usus atque dignitas decisionibus quarun-  
dam, ut vulgo audiunt, Facultatum Iuridicarum, interque has, ut unam  
saltim nominem, Erlangensis asseratur, examini paullo accuratori subiicere.  
Sed cum mature satis animadverterem reliquis defensoribus florentis adhuc  
D. Marci auctoritatis, in quibus praeter Boehmerum vel in primis  
celebrandus est in iure Germanorum criminali vir principalis Kochius,\*)  
nuper demum V. Cl. Eisenhardum, Professorem apud Helmstadienses  
de iure privato Germanorum egregie meritum, palmam eripiisse,\*\* abieci,  
quanquam invitus, quod conceperam consilium, vel potius id in aliud tem-  
pus reiciendum esse duxi, et quam frons huius libelli prae se fert tractan-  
dam mihi sumsi materiam, non, quasi post tot subtilissimorum ingensiorum  
subtilissimas inquisitiones novi aliquid a me dici posse putem, sed quia in

\*) in Institut, iur. criminal. §. 242. not.

\*\*) in diff. de poena LL. Rom. adversus vindictam privatam fancita, in foris adhuc  
valida. Helmst. 1787.

re tam ardua ac gravi nimium inquire non posse, id quidem mihi persuadeam esse certissimum.

Plenum, quantum fieri potuit, adiunxi librorum, qui idem argumentum tractant, indicem, quamquam eum absolutum omnibus numeris perfectumque dicere non ausim. Evidem facile illum in immensum augere potuisse, si singulos libellos, singulaque compendia, in quibus eius rei sit mentio, recensere lubeisset; verum satis esse duxi, praecipua opera, quae de industria de hoc arguento verba faciunt, librosque eam ob causam compositos, ut vel ad hanc solam, vel tamen potissimum respicerent materiam, in medium proferre. Neque, quod primum facere constitueram, quid de quovis libro ipse sentiam, adieci, quum partim inter doctos de pretio illorum constet, partim meae iuventutis non sit, dissentientium opiniones ea de re componere. Ex hoc autem catalogo vel me non monente quisvis intelliget, Germaniam plurimos eorum tulisse, num et optimos, qui scire capit, ipsos fontes adeat, indeque hauriat. —

Havniae, die xxiv. Januar. MDCCXCVI.



### Auctores

qui supplicia vel plane, vel ex parte saltim ex civitatibus tollenda esse putant.

#### Italici.

- 1) Beccaria dei delitti e delle pene, Napoli 1764, §. 26.
- 2) Renazzi trattato delle pene.
- 3) Montero fate riflessioni polit. intorno all' efficacia e necessità delle pene. Palerm. 1773.
- 4) Che la dolcezza delle pene sia giovevole al fisco pubblico più que l'asprezza. Napoli 1787. 8.
- 5) Il codice penale conciliato col codice del fatto, del. Abb. Oggeri. Roma 1789. 8.
- 6) Della pena di morte. Trattato filos. polit. del Dr. Ciomorelli.

#### Françogallici.

- 1) Commentaire sur le livre des délits & des peines, par un Avocat de Provence. 1766.
- 2) Observations sur des matières de jurisprudence criminelle, traduites du latin de Mr. Paul Risi, par M. G\*\*. Lausanne 1763.
- 3) Plan de législation sur les matières criminelles, par Mr. de F\*\*. Amsterdam 1779.
- 4) Théorie des loix criminelles, par Briffot de Warville. 1780. 8.
- 5) Servin de la législation criminelle, Lib. I. Ch. 1. pag. 177.
- 6) Loix pénales dédiées à Monsieur frère du Roi, par Mr. Dufrière de Valaze. Alençon 1784.
- 7) Discours sur les besoins & les moyens d'abolir les peines de mort, par Philipon. Bâle 1786.
- 8) Dénonciation de la peine de mort aux états généraux. 1789. 8.
- 9) Théorie des peines capitales ou abus & dangers de la peine de mort & des tourmens. Paris 1790. 8.
- 10) Théorie des loix criminelles ou discours sur cette question: si l'extrême sévérité des loix diminue le nombre & l'énormité des crimes, par J.P. Chauffard. Paris 1790. 8.

- 11) *Pastoret des loix pénales.* Paris 1790.  
 12) *Sur la peine de mort, opinion de J. Jallet.* Paris de l'imprimerie nationale. 1790.
- Anglici.
- 1) *An Essay on crimes and punishments, by Mr. Dawes.* 1782.  
 2) *Rush on capital punishment.*

Germanici.

- 1) von Sonnenfels *Grundsätze der Polizey- Handlungs- und Finanzwissenschaften,* 1ster Theil, §. 375—388.  
 2) Caesar *de iure gladii.* Lipsiae 1769.  
 3) *Zur Minderung menschlichen Elends.* 1775. S. 39 ff.  
 4) Barkhausen im Deutschen Museum vom Jahr 1776. 8tes Stück, ibid. August u. October 1777. add. *Plitts Repertor, des peinl. Rechts.* B. I. S. 302 sqq.  
 5) Sturz über Lingues Vertheidigung der Todesstrafen, Deut. Mus. December 1776 und im ersten Theil seiner Schriften. 1786. S. 142.  
 6) Ein Ungekannter in Weckhrlins Chronologen, 1ster B. S. 299 ff.  
 7) Ueber die Justizpflege. Wien 1781.  
 8) Cramer Etwas für Menschen ohne Vorurtheile. Augsburg 1781.  
 9) von Globig und Huster in der Preischrift über die Criminalgesetze. S. 64 ff.  
 10) Schulz Versuch einer Anleitung zur Sittenlehre für alle Menschen ohne Unterschied der Religion, nebst einem Anhange von den Todesstrafen. Berlin 1783.  
 11) Das peinliche Halsrecht der Teneriffianer. Osnabück 1783.  
 12) Isaak Fremdlinger über Todesstrafen und über Beiträge zu wohltätigen Stiftungen, Berlin 1783.  
 13) Das peinliche Recht, nach den neuesten Grundsätzen vollständig abgehandelt, 1ster Theil. Offenbach 1783.  
 14) Hommels philosophische Gedanken über das Criminalrecht, §. 50.  
 15) Geist der peinlichen Gesetze, 1ster Theil, §. 311—316.  
 16) Ueber die Strafgesetze, oder Entwurf zu einem allgemeinen Strafcode, mit Anmerk. und Zusätzen begleitet von Caesar, aus dem Franzöf. von Valazé. Leipzig. 1786.  
 17) Entwurf eines Sitten- und Strafgesetzbuchs für einen deutschen Staat. Ulm 1793.  
 18) Ueber das Recht, am Leben zu strafen, systematisch erwogen. Berliner Monatschrift, herausgegeben von Biester. October 1795.

## Auctores

qui suppliciis locum in republica afferere conantur.

### Italici.

- 1) Montanari *difesa sopra la necessità della pena di morte.* Verona 1770.
- 2) Vergani *della pena di morte.* Milano 1777.
- 3) Marchese Natale *sopra la necessità ed utilità delle pene di morte.*
- 4) Filangieri *scienza della legislazione.* Tom. IV. cap. 29. Napoli 1781.

### Francogallici.

- 1) Montesquieu *esprit des loix,* livre VI. ch. XII.
- 2) Rousseau *contrat social,* liv. II. ch. V.
- 3) Mably *principes des loix,* liv. III. ch. IV.
- 4) *Réfutation des principes hazardés dans le traité des délits & des peines &c. par Mr. de Vouglans.* Utrecht 1768.
- 5) Vermeil *essai sur les réformes dans notre législation criminelle,* liv. I. ch. V.  
liv. II. ch. VII.
- 6) Linguet *apologie des peines de mort.*
- 7) Idées sur les loix criminelles, par Thorillon. Paris 1788. 8. 2 Vol.

### Anglici.

- 1) Hobbes *de cive,* c. 2. §. 18.
- 2) Locke *on civil government in the second treatise,* Chap. II. §. 10. et Chap. VII.  
*of Polit. or Civil Society,* §. 87. 88 etc.

### Germanici.

- 1) Wolff *in iure naturae,* part. VIII. §. 638 et 835.
- 2) Schott *de genuino fonte iuris vitae et necis.* Tübing. 1756.
- 3) Eiusd. *observationes de delictis et poenis ad recentiorem librum Italicum de hoc argumento.* Tüb. 1767.
- 4) *Von Verbrechen und Strafen. Eine Nachlese und Berichtigung zu dem Buche des Marquise Beccaria etc., nebst einem Anhange über einige neuere deutsche Schriften von dieser Materie etc.* von J. E. F. Schall. Leipzig 1779.
- 5) Hellfeld *de iustitia poenarum capitalium praesertim in crimine furti.* Jenae 1772.
- 6) Jacobi *Versuch einer Apologie der Todesstrafen.* Lemg. 1776.
- 7) *Ein Ungerannter im deutschen Mus.* vom Jahr 1776. 1otes Stück.
- 8) Rundé *ebendaselbst vom Jahr 1777. 4tes Stück, addit. Plitts Repertorium,*  
B. I. S. 268.

- 9) Feder ebendaselbst vom Jahr 1777. 1xtes Stück, und in seinen Grundsätzen des Naturrechts S. 77. §. 47. No. 8. adde Plitts Repertor. l. c. S. 36.
- 10) Versuch über die gesetzgebende Klugheit, Verbrechen ohne Strafen zu verbüten, S. 19 und 117. Frkf. u. Lpz. 1779.
- 11) Jul. Frid. Malblanc progr. de poenis ab effectibus defensionis naturalis etiam in statu civili probe distinguendis. Altorff 1779.
- 12) Raurici position ad rem criminal. philosophico-practicar. lib. §. 101. Berol. et Lips. 1777.
- 13) Michaelis Vorrede zu dem sechsten Bande des Mosaischen Rechts, S. 130.
- 14) Claproths Vorrede zu der ersten Fortsetz. des Entwurfs eines Gesetzbuchs.
- 15) Zaupler Gedanken über einige Punkte des Criminalrechts, 2te Abtheil.
- 16) Pörsch von den Todesstrafen, wider Beccaria. Königsberg 1768.
- 17) Erörterung der Frage: welche Strafe ist wirklicher und anhaltender, die Todesstrafe oder die ewige Gefängnissstrafe? nebst einer Widerlegung der Gründe Beccar. Königsb. und Leipzig 1770.
- 18) Titel über Todesstrafen gegen Mörder. Frankf. 1780.
- 19) Siardi von dem Rechte der Todesstrafen und der peinlichen Frage. Pappenh. 1781.
- 20) Quistorps Entwurf eines peinl. Gesetzbuchs, 1ster Theil, 4ter Abschn. §. 52.
- 21) von Soden Geiß der deutschen Criminalgesetze, 1xtes Heft, §. 42.
- 22) Magazin der Gesetzgebung, besonders in den Königlich-Preussischen Staaten, 2ter Band. 1782. No. 10.
- 23) Worauf gründet sich das Recht der Monarchen, mit dem Tode zu strafen, und sind die Strafen allezeit die wirksamsten, die aus dem Geiß etc. von Carl Häss. Wien 1781.
- 24) Conradi von Bestrafung der Verbrechen, im Schweizerischen Museum, 4tes St. 1783.
- 25) Weissenborn über Staatsverfaß. und Gesetzgebung, 2ter Abschn. Berlin 1783.
- 26) Gmelin Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen. Tüb. 1785.
- 27) Püttmanni prolus. de poenis exempl. in opusc. iuriscriminalis, pag. 257 seq. Lipsiae 1789.
- 28) Klein im Entwurfe des Preußischen Gesetzb. S. Entwurf eines allgem. Gesetzb. für die Preußischen Staaten, 1ster Th. 3te Abth. 8 Tit. 15ter Abschn. §. 1262.
- 29) Püttmann über die peinlichen Strafen. Leipzig 1792.

## Dan i.

- 1) Om Livstraffes Retfærdighed. Minerva for Februar-Maaned 1793.
- 2) Om Livstraffes Nævændighed af Hr. Secret. Pram. Minerva for Mars-Maaned 1793.

**L**a magna illa opinionum varietate, quas vel hominum solertia in lucem prostravit, vel natura ipsa animis obtulit, multae profecto inveniuntur, quae, cum et ad societatem civilem tuendam et ad felicitatem singulorum stabiliendam et augendam quam plurimum conserunt, quamvis multis multorum sint disceptationibus agitatae, nondum tamen ea luce fulgeant, ut omnes errorum tenebrae ei cedant, aut timendum sit, ne qui iis denuo in dagandis studium dicaverit, in gravissimas incurrat reprehensiones. Quae enim hominum interest ea sane nimis accurate cognosci nequeunt. Si quis itaque ad illud veri genus, in quo humana felicitas quam maxime versatur, rursus perlungandum facem admoverit, tantum abest, ut aequi rerum iudices eum risu excipiant, ut potius, eum bene de republica mereri iudicatores illos esse, optimo iure sperem. In magnis scilicet voluisse sat est, et voluntas saltem laudanda erit, et si vires consilium desituant. Ager nimirum ille, in quo felicitatis humanae fructus feri vulgo solent atque colligi, horret saepissime sentibus atque spinis, in quibus eradicandis nemo non, cui genus humanum curae est cordique, lubenter operam consumet, bene memor, non cuiusvis ingenii esse, ad incognitas penetrare oras atque inde auri argenteique cumulos referre. Non omnes sumus Columbi. Multis, iisque non obtutissimis hominibus ex undique congestis de rebus magni momenti sententiis, iisque subtilius examinatis, in ordinem concinniores digestis, a discordia, quae inter illas intercedere videbatur, liberatis atque eleganti, certe non horrido modo propositis, haud parum honoris laudisque

exitit. Nec iniuria. Dum enim diversissima saepe iudicia invicem comparant, argumenta quae suae quisque opinioni in subsidium mittit, ponderant, non potest non fieri, quin verum, haud raro in medio positum, inventiant, ex fordibus, quibus offusus splendor illius hebetatur, eruant, atque hac ratione sibi atque aliis lucem accendant, quae viam ad sapientiam certiorem reddat atque illustriorem. Maiori mentis acie praeditus, hac insistens via ad secretas fortasse veri fodinas perveniet illasque felici ausu ad usum communem recludet. Omnes vero iam detectas existimare, aut eas, in quas vel fors nos detrusit, vel sagacitas nostra nos deduxit, iam exhaustas putare, aut fulti esset, aut, quantum adhuc a veris rerum notiobibus alieni sumus, ignorantis.

Dum itaque, de qua doctissimi quique omnium gentium omniumque temporum, in utramque partem disputatione, mihi sumo materiam, in qua exerceam vires, non vereor, ne quis me audacem nimis culpet atque temerarium, aut qui se reliquis plus sapere credit; imo vero spero potius atque confido fore, ut, cum a partibus Rousseauvii, Mablii et Filangierii stare andeam, horum auctoritate, quasi clypeo tectus, calumniatorum tela forti animo depellam, atque ut, si non vixor discesserim, pugnam tamen non ignobilem pugnem.

Magnas laudes tulit opus quod Marchio Beccaria sub titulo: *dei delitti e delle pene*<sup>1)</sup> edidit, magnamque auctori conciliavit famam, unicam homine

1) Quo studio honorem, Beccariam primum inter huic saeculi auctores extitisse, qui supplicia adhibenda esse negaret, ereptum iuerint docti Germani, vulgo notum est. Redierunt non modo ad Aethiopes, excitato Diodoro Siculo, Lib. III. cap. 6. sedetiam ex capite quarto quartae orationis Ciceroniana in Catilinam, Caesarem suppliciorum adversariorum acutissimum ingeniosissimumque, mirum quam argute effecerunt. Caeterum, ut morem popularium, qui omnes artes, omnia inventa fibi vindicant, in hoc imiter, non possum non fateri, Sonnenfelsium (*in den*

philosopho dignam mercedem, quae, quo rarius labori atque studio contingit, eo maioris pretii habenda est. Neque huic quidem laudi, vel is invidebit, cuius sagacitas nonnullos scribenti obrepissit vel in iudicando vel in probando deprehendet errores, secum reputans, quam egregie de genere humano actum foret, si omnes, qui in nostram vitam tantam vim habent, errores, ex eodem fonte illo liquidissimo, amoris puta humani generis, profluxissent.

In illo vero, quem memoravimus, libro viri celeberrimi paragraphus decimus sextus praecipue est, qui maximos motus excitavit, omnium animos in se convertit, qui, mirum est, quot sautores et propugnatores ab una parte, ab altera autem quot vituperatores invenerit. Negat enim ibi atque pernegat auctor gravissimus, societati, quae etiam civitas dicitur, ius in vitam civis cuiusquam esse, atque hoc poenae genus in ulla bene constituta republica locum habere posse.<sup>2)</sup> Hac itaque de re paullo ubi-

*Grundsätzen der Policey - Handlungs- und Finanz-Wissenschaften, 1ster Theil,  
§. 375 - 388) diu ante quam Beccaria de illare cogitaret, suppliciis bellum indexisse. — Qui rem accuratus cognoscere cupit, eum alego ad Cel. Pütmanni librum singularem: *Strutture in inclytum Beccariae de delictis et poenis libellum, Lipsiae 1789;* in quo totus in eo est, ut ostendat, omnia quibus Beccaria usus est, iam in Platone, Cicerone, Seneca occurrere argumenta. — Errant autem vehementer gallici et germanici scriptores, qui Montesquium quoque supplicia expellenda ex civitatibus dixisse credunt. Vult tantum, ea rarius exerceri; at exerceri tamen, in eos scilicet, qui aliis vitam eripuerunt, aut impetum modo in eam fecerunt. Vid, *Esprit des loix Tom. I. Lib. XII. c. 4. ed. Genev. 1731.**

2) Non nisi unam admittit auctor exceptionem, ubi iure civis necari possit, alteram ipse refutat: "La morte, inquiens, di un Cittadino non può credersi necessaria, che, quando anche privo di libertà, egli abbia ancora tali relazioni e tal potenza, che interessa la sicurezza della nazione, quando la sua esistenza possa produrre una rivoluzione pericolosa nella forma di governo stabilita. La morte di un Cittadino divien dunque necessaria, quando la Nazione ricupera o perde la sua libertà o nel

rius differere eamque proprius considerare, animum induxi. Argumenta vero, si quis animo colligere velit, quibus adducti viri doctissimi abroganda esse statuerunt ultima supplicia, (quae tamen neque ubique neque ea vi, qua solebant, exerceri posse, in primis ex iis, quae in C. C. C. posita et inde in libellos Iurisconsultorum translata sunt, exemplis cuique facile patebit) <sup>3)</sup> ad haec tria, quasi ad capita sua, referri posse videntur:

- 1) Civitati vel societati non competit ius civem quendam capite plectendi quia in vitam ne civis quidem ipse ius habet, ut adeo illud societati concedere et de vita sua pactum inire nequeat.
- 2) Hoc poenae genus neque necessarium neque utile est;
  - a) non necessarium, quod alii hac poena ab eodem facinore perpetrando non absterrentur;
  - b) non utile, quod respublica duobus cibibus privatur.
- 3) Iniustum est, quemquam gravius puniri, quamreipublicae salus postulat; quae si alia ratione secura reddi poterit vel promoveri, id quod fieri posse experientia docet, non opus est, ut statim vita prietur, qui leges migravit.

*tempo dell' Anarchia, quando i disordini flessi tengono luogo di leggi.*" Atque haec quoque fuit ratio, quam plurimi iudices in causa illa nobisissima, qua tota fere Europa commota est, prae se tulerunt quam ad mortem reum condemnarent.

- 3) Grotius de iure belii et pacis L. II. cap. I. §. 14. supplicium de fure esse sumendum iamiam negavit, quamvis ratio ex lege Mosaiica petita, nullius ponderis est atque momenti. Contra omnium igitur opinionem prodidit Hellfeldi diss. de iniustitia poenarum capitalium in criminis furti.
- Jenae 1772.

## §. I.

Iam igitur qui statuunt:

2) Civitati non licere, quidam civium suorum vitam auferre, quia ne ipsi quidem in vitam suam ius est atque potestas, quam alii dare, aut de qua cum altero pacisci possit.

Hi inquam, recurrent ad prima societatis initia, inde repetentes, hominem, qui cum aliis societatem iungit, nihil aliud quaerere, nisi, ut neglectis quibusdam commodis, iisque paucissimis, summis potiatur commoditatibus atque utilitatibus, quas solus aesse qui non possit. Neminem vero tam stultum esse, ut illius, quod homo omnium carissimum habeat, vitae seilicet iacturam facere velit, praesertim cum ne ipsi quidem ius in vitam suam concessum sit; adeoque, quodquis non habeat, id ille neque principi, qui quasi commissa aliorum bona servet, neque alii cuicunque concedere possit.

Omnis, quae his superstructa est rationibus argumentatio, concussa corruet, si posteriorem enunciationis partem paullo diligentius examinaveris. Hic enim, ut faepissime alias patet, quantam vim habeant errores ad depravanda hominum iudicia, in primis, si a religione aut iis doctrinis, quae iure, an iniuria? ad eam trahuntur, originem ducere putantur. Quaenam quoefo, erit respublica, quaenam societas, si in universum veram eam esse statuimus sententiam, homini nihil iuris in vitam suam concessum esse? Nonne hac potestate in vitam sublata, tollitur simul omnis societas? nonne omnia, quae instituta, leges, mores adstrinxerunt vincula, solvuntur? Quis patriam defendere audebit? quis mercator navem conseruet, ut ex remotis terris ad vitam humanam necessaria, adportet? quis nauta eum comitabitur? aut quis agriculturam exercebit, in qua non minus faepe periculum vitae adeundum est? quis litterarum studiis in-

enmet, ut aliis profit, quae corpus extenuant, viresque consumunt? quis sumnum hominis officium, legem animum ingeniumque excolendi sanctam habebit, neque satisfaciet, nisi vitam in tempore profundere liceat? quis minora adibit pericula, ut maiora vitet? quis partem corporis negliget, ut totum conservet? Ut multa paucis complectar, illa sententia sumta, omnis virtutis vis, omnis officiorum sanctitas destruitur, evertitur, tollitur, actiones, quas omnes gentes, omnia tempora laudibus ornarunt, ad coelum sustulerunt, quas illa, quae vidit, probavit aetas, quas admirata est posteritas, decore suo exuuntur, pessimo suicidii nomine, quod optimus quisque cane peius fugit, insigniuntur, qui vero se solum, omnium reliquorum felicitate spreta, amat, quovis modo suam ipsius modo tuetur tranquillitatem, is demum honestissimus, is optimus habetur, fertur, praedicatur.

Ut itaque finem, ob quem homines in societas coierunt, facilius consequatur, ut maioribus, quae inde nascuntur, fruatur commodis, quae vitam ipsam suaviorem reddunt, ut sempiternum vitae periculum, in quo alias verlaretur, effugiat, ut quae naestus est laboris praemia atque diligentiae, in otio consumat, licet utique homini, morti obiicere vitam, eamque societati quasi oppignerare, ut, si quid commiserit, quod fecunditatem reipublicae laedat aut salutem eius in discrimen vocet, de illa poena sumatur. Dum se huic conditioni, quae summa societatum civilium lex esse debet, obtemperare velle pollicetur, nihil in se recipit, de cuius exitu possit incertus esse, aut quod non sit in eius potestate situm, vitam non prodit neque vendit libertatem, sed ut vitam conservet et libertatis revera particeps fiat, his quasi pauci vinculis se adstringi patitur. Nihil igitur obstat, quo impediatur homo, vitam obstringere reipublicae atque offerre, primum potius est atque apertum, hominem facere illud et posse

et velle, sit verbis declarata voluntas, seu pectori pressa, simulac societati civili nomen dat. Habeo etiam in hac re consentientem Rousseau-  
vium in libro: *Contrat social L. II. Chap. V. du droit de vie et de mort.*

Ut porro singulis in statu naturali ius est, se defendendi, sic quoque civitas eodem iure et quasi privilegio gaudet. Si vim, quae vitae infertur alia ratione depellere nequeo, licet, insidiatorem vel grassatorem interficere. Iam cum me societati adiungerem, hoc ipsum ius magistratui aut principi veluti in manus tradidi, ut illud meo nomine exerceat. Eius itaque erit, cives ab iniuriis tutos praestare; quod si temporibus impeditus facere non potest, mandans sibi ius illud iterum vindicat, illudque ipse exercet. Hic enim, si qua alibi, valet illud: rebus sic se habentibus, quod omnibus pacis quasi substratum latet. Qui in statu naturali vivit, hoc iure<sup>4)</sup> hac vi armatus hostem, qui ipsum adoritur, prosternere, eique vitam eripere potest; quodsi vero accideret, ut ipse, postquam civitatis cuiusdam socius factus est, fortiori succumberet atque in se defendendo vitam amitteret, ad societatem, cuius ipse pars fuit, redit ius illud,<sup>5)</sup> quid? quod

4) Jus vitam defendendi, quod hic locum haber, vocatur a Jurisperitis modera-  
ramen inculpatae tutelae, estque ab illis, quod exercitium eius atti-  
net, tam variis limitibus circumscriptum, ut probatio, illud omnino hoc vel illo  
tempore locum habuisse, maioribus labore difficultatibus quam vel imperfecta  
politiæ ratio atque vigilantiae magistratus permittere videtur. Praeter alios,  
qui hoc pertinent auctores, vide Quistorpii dissert. de probatione moderan-  
minis inculpatae tutelae Rostochii 1765 eiusdemque Comment. Juris Cri-  
min. §. 244.

5) Hoc ius, quod civitas quasi interfecti nomine eam ob causam exercet, quod  
occisus, si ipsum defendens, alterum necare potuisset, Scholtius, Schal.  
lius, aliisque germanici scriptores in Wolfii *ture naturae* p. VIII. §. 638 et  
835. expositum sibi invenisse videntur, at quum aequi sit viri, qui vero impen-  
dere vitam sibi proposuit, cuique, quod ipsi debetur, tribuere, meum esse

officium, ut capitis damnet eum, qui ipsam civem probo atque honesto privat. Quodsi faceret, omnis vitae securitas iaceret prostrata, nihil sancti, nihil inviolati esset; virtuti boni civis praferenda esset conditio percussoris, qui, quum vel odio inflamatus, vel ulciscendi cupiditate abreptus, vitae alterius vim parat, tantum libertatis civilis, alter vero vitae, quae cuique clarissima esse debet, discrimen subiret. Quod igitur interfectus habuit ius, vitam hosti eripiendi, post mortem in socios quasi vindictae heredes transit, ut hi defensores atque vindices legum naturalium existant, eumque vita exuant, qui alterum vita privaverit. Nam quae non multum ante iusta fuit poena, eam paullo post non iniustam fieri posse, luce clarius est.<sup>6)</sup>

#### §. 2.

**Supplicia extrema neque necessitatis neque utilitatis aliquid habent, et quidem**

a) nihil *necessitatis*, quia alios, quominus idem flagitium committant, minime impediunt, adeoque ad securitatem societatis conservandam parum aut nihil conferunt.

arbitror monere, iam ante illum philosophum Hallensem, Hobbesium *de cive* c. 2. §. 18. et Lockium in posteriori tractatu *de imperio civili*, hanc sententiam protulisse, ad quos, si vis, etiam Puffendorfium referre potes.

6) Ex illis, qui suppliciorum causam agunt, sunt nonnulli, qui ex morte parvicularum consolationem propinquis mortui atque necessariis quaeri dicant. Verum enim vero hoc argumentum neque viro honesto neque legislatore cum Schallio dignum iudico. Lex enim nullis servit cupiditatibus, vindictae non paret, neque eam expiere studet; salutem modo atque securitatem civium sibi promovendam proponit.

Poenas eam ob caussam infligi, ut scelesti homines corrigantur, alii a perpetrandis sceleribus eiusdem generis absterreantur, atque sic vitiis omnis via, qua irepere possint, obstruatur, in eo fere omnes consentiunt. At si proprius accedis, remque ab omnibus partibus lustras, illam de delictis et poenis quaestionem ex difficillimis Iuris criminalis esse invenies, ita ut pleraque consilia, quibus difficultatibus illis mederi voluerunt iurisperiti, rem obscuriore quam claram reddiderint. Atqui vero, qui poenis, quamquam crudelissimis animos hominum adeo commoveri arbitratur, ut nemo non, qui vel ipse sceleratos homines atque nefarios cruciatibus aut morte ipsa affici viderit vel ab aliis audiverit, eiusmodi flagitia fugiat atque averteret, nae ille vehementer errat! Nisi enim legislatorum sapientia provideat, ut diligentiori iuuentutis educatione meliorique institutione vitia ipsa sumum moveant horrorem, quem deinde poenarum inflictio augere debet atque acuere, semper timendum erit, ut pravae cupiditates animique motus, qui quo minus rationis vis viget in homine, eo vehementiores esse solent, simulac quaedam irritamenta v. c. odium accendant, improbum quemvis ad quodvis scelus abripiant committendum. Sint poenae iustissimae, sint quam maxime sceleris atrocitati accommodatae, non tamen in rudes animos vim suam exferent et quamvis eos concusserint, tamen timor ille, pessimis consiliis locum cedens, mox tamquam umbra praeteribit.

Quum vero poenae in primis eo spectent, ut crimina, quoad fieri potest, ex humana societate eiificantur propellanturque, cum porro nemo sanae mentis inficias eat, ad excutiendum hominibus infimae conditionis calum, qui eorum obsidet pectora, mortis cogitatione nihil plus valere, quam tamquam solutionem omnium rerum unice reformatum: eam facile patet summis sceleribus proponendam esse poenam certissimam. Quo rarius deinde, quo *solemnius* illa poena exercebitur, eo efficacius in sensu aget et

animos percellet, neque necesse est, ut maiores cruciatus atque plura mala illi accedant. Ipsa mors iam in se habet, quod omnibus timorem horroremque incutiat, quippe quae nos ex his terris in incognitas regiones migrare iubet, unde nullus redditus patet. Eam ob caussam homo iners atque gravissimarum rerum ignarus, cuius tamquam summum vita spectatur bonum, iniquissima quaevis lubens perpetietur, carcerem, vincula, tormenta, in bonorum numero habebit, <sup>7)</sup> dummodo vita frui liceat, quam suam sententiam ipse inimico, summum, id est, vitam auferens, nefario ausu suo, luculenter probavit. Haec itaque ipsa persuasio, quae tales mentes occupat, hac poena nos nati iubet, ut in posterum odium, ira, vindicta aliaeque legibus infestae cupiditates mortis metu reprimantur.

Verum enimvero si, quod vel in optime constituta civitate et legibus sapientissimis utente, vix ac ne vix quidem locum habere potest, si poenae ad sensus, mores, ingenia eorum, qui male fecerunt, accommodari possent, et temperari, sine dubio graviores castigationes, eademque diurnae, magis convenienter reis, quorum ratio quodammodo exulta, ac sensus, pulcri et honesti non neglectus esset. His si v. c. remigia, vel alia opera publica timenda essent, non minore vitiorum horrore concuterentur, quam plebecula mortis metu, siquidem haec nullo honoris, qui in ipsam non cadit, studio ducitur, cui vita etiam in vinculis cara est, cum in carcere eodem vietu, quo alias, saepe etiam exquisitorie utatur, de quo tunc ne anxia quidem esse debet; id quod eorum exempla docent, qui paupertate coacti ultiro ad gravissimos remigium labores suscipiendo fefe obtulerunt.

Quae praeterea ad abolendam hanc poenam proferuntur, modum potius eius atque formam, quam rem ipsam spectant. Cura modo iudicium sit, ut

7) Memini beneficium, quum caussarum patronus ei spem vitae fecisset, summo perfundi gaudio, seque ad quaevis perpetienda paratum dicere, si modo vita frui licaret.

poena cito pede sequatur scelus; <sup>8)</sup> ut, quo crimen commissum est, loco infligatur, <sup>9)</sup> ut fonti ad se defendendū et tempus concedatur et facultas; ut, simulac constat, eum morte dignum esse, de forte sua certus fiat: haec si recte adhibentur, tunc profecto pietas et misericordia spectatorum non amplius sensum iusti et aequi vincet. Nam hic nobis a natura ipsa est datus sensus, haec pietas, ut, primo de nece cuiusdam quamvis alienissimi nuncio allato, ira excandescamus, eumque, qui sanctissima humanitatis iura impia manu violavit, detestemur. At quum videmus, poenam non advolare, sed clando gradu repere et mortis timore, qui saepius plus angit morte ipsa, sceleratos homines plus quam satis est, terrori, tunc, inquam, reddit ille humanitatis sensus, qui memoria pristini facinoris extincta, animum totum in cruciatibus figit et supplicio atrocitatē tribuit, quam olim sceleri tribuerat. Sic itaque iustitia promta et expedita, nulli sceleri parcat; attamen in puniendo flagitiis servet eam, quae infelici quoque debetur, aequitatem ut Astraeam in terram rediisse, omnes boni laetentur.

b) Negant quoque saluti publicae supplicia ultima esse proficua quod interficto uno cive alteri etiam, interfectori scilicet, vita eripiatur.

Equidem non is sum, qui cum aliis hanc opinionem, homine faltem non indignam, false rideam. Seria res agitur, argumentis, non ludicris.

8) In provinciis Daniae germanicis ita anno praeterlapsō est fanebitum atque institutum, ut omnes caussae capitales, nisi gravissimae intercedant rationes, intra sex mensium spatium componantur atque finiantur.

9) Leges Romanae iamiam expresse id postularunt. L. 28. §. 15. D. de poenis. *Famosos latrones, in his locis, ubi graffati sunt, furca ligendos, compluribus placuit, ut et conspectu deterrentur alii ab hisdem facinoribus.* L. 7. §. 4 et 5. D. de accusat. Idem Imperator rescripsit, servos ibi puniendos, ubi deliquisse arguantur, &c. Vid. Kleinschrods systemat, Entwickel des peinl. Rechts. Th. II. §. 30. sq.

armis, certandum est. In hoc elaboremus; in hoc vires exerceamus! Quod alii temporibus, alii locis iustum habetur, cur in hoc casu, quem sub oculis habemus, iniustum fiat, plane nullus video. Nonne navis, quae e longinquis regionibus ad oras nostras tendit, portu prohibetur, si modo suspicio adest, illam tamen quadam pestifera pollutam esse? Non modo aegrotis nullum auxilium fertur, sed etiam illi, qui valent, certo periculo mortis obiciuntur, ne intempestive misericordia maius societati adferat damnum. Nonne omnis usus, omnis nexus inter populos vicinos tollitur, sicuti una aut altera regio gravi pestilentia premitur? Quis hanc providentiam, qua universae prospicitur societati, reprehendere audeat? Sapientiae est, ex duobus malis eligere minimum, sapientiae est, aedes diruere, quando proximus paries ardet, ut urbs, aut saltem maxima illius pars servetur; sapientiae est, membrum vitiosum ressecare, ne pars sincera trahatur; quis igitur umquam sapientis esse putabit, vitae cuiusdam parcere, qui se illa indignum praebuit, ut posthac optimi quique crudelitati sceleratissimorum hominum obiciantur? quis umquam crebet, hoc Philosophos, Iurisperitos, viros, qui omnes curas, vires, vigilias civitatum saluti consecrarunt, serio suassisse? Illis, qui aura leviores, coecis coeciores, humanitatem cuique infirmitati praetexunt, istae rationes sufficient; eas, per me licet, mirentur, stupeant, in coelum laudibus tollant; falsas atque erroneas, immo vero iniustas eas merito sapientissimus quisque et habet et habebit. Qualemcumque enim societatis humanae caussam atque legem summam statuas, in eo tamen omnes convenire sententias invenies, in societate quaeri et securitatem vitae et liberum earum rerum usum, quas vel diligentia comparavit, vel fortuna adiecit. Qui igitur vel securitatem vitae incertam reddit, eamque civi extorquet, vel usum rerum utilissimarum turbat, sanctissimam illam legem violat, neque vita dignus habendus est. Haec etiam est ratio, ob quam Beccaria a regula secedere iustum putat. Eandem tamen quoque aliis locis valere invenies, si modo paullo accuratius rem consideraveris. Nam

qui civem interimit, non singulis modo civibus, sed universae civitati se hostem ingerit. Societatis itaque salus, quae summa esse debet, omnium actionum ratio, atque magistra, non modo licitam esse eam, de qua loquimur, poenam, sed etiam iustum necessariumque alta voce clamat; neque quemquam fore puto, qui falsa specie ductus commodorum, quae fortasse a conservato percussore in patriam redundare possint, rationem habendam ferio esse opinetur.

§. 3.

Restat, ut tertium, quod posuimus, argumentum eorum qui aliter sentiunt examinemus. Sic vero se habet:

“Non licet societati civili, quemquam gravius punire, quam salus reipublicae postulat. Quod si vero alia poena, eundem finem consequi poterit civitas, non opus habet ad gravissima supplicia descendere, potius eius erit officium, eum, qui leges migravit, conservare. Fieri autem posse, ut salus reipublicae, conservato quoque impio conservetur, experientia docet.”

Hic ante omnia quaeri potest: num lex, quam hic vel illic locum habere, huic vel illi criminis poenam minari et videt iudex et declarat, iusto gravius quemquam punire possit? nullis enim animi perturbationibus a vero cernendo abripitur, nulla alia re, nisi salute civium ad exferendas vires suas incitatur; hanc quasi ante oculos habet, hanc sequitur, et hanc, publicam nimirum omnium securitatem salutemque potiorem habet prioremque vita paucorum eorundemque pessimorum. Quod si itaque talis lex, quae felicitati quam plurimorum cavet, quae publice promulgata ad omnium aures perlata est, quam ne insimus quidem in populo ignorare potest, summa supplicia ei, qui hoc vel illud flagitium commiserit, minatur, eaque sceleratis, qui se tali criminis contaminarunt, infligit, qui dici potest legem severiorem

esse crudeliorumque, quam opus sit? In cuiusque enim potestate situm erat, hanc poenam effugere, quae minime ab arbitrio iudicis, corrupti fortasse aut errore decepti decernitur; sed quae a lege ipsa, id est, a communione civium voluntate, quam suam quisque fecit, quem civitatis socius fieret, iubetur. Fuerunt tempora, quibus custodia sempiterna, quem novatores isti commandant, mortique praeponi volunt, suppicio par haberetur. Si vero auctoritatem quaeris, Romani, quorum instituta ab aliis nimis laudantur, ab aliis autem nimis vituperantur, serio negarunt quemquam perpetuis vinculis esse addicendum.<sup>10)</sup> Multum sapientiae etiam ex his institutis atque legibus elucet. Non enim negari potest, saepissime, quamvis non ubique, vitam quam noxiis civibus concedimus, amissis omnibus, quae in rebus quibusdam publicis permagna esse possunt, iuribus, malto graviorem esse poenam, multoque efficacioriem ad alios vitorum horrore implendos quam supplicia ultima; in primis si reus animi ingenioque dotibus reliquos antecellit, quarum usus ei quoque in catenis permittitur, ut adeo iurium, quae olim habuit, amissorum triste exemplum existat. Sed non in omni civitate, nisi in ea, quae ad rempublicam Romanam quam proxime accedit, tale poenae genus locum habere potest, quia in nulla alia tot ac tanta cum libertate intercidunt. In reliquis civitatibus caveat modo iudex, ne inimicus tranquillitatis publicae nimia crudelitate afficiatur sive vicies moriantur, quum vel levissimum leti genus sufficiat ad infligendum summum supplicium, quod legislatoris severitas decernere potest. Atqui vero audio iam mihi regerentes: in bello victos non necari, si vinculis aut alia ratione impediri possint, quo minus amplius noceant; cessare itaque ius hostem interficiendi; quod antea in bello sine dubio habuimus, priusquam in potestate venit adversarius. Vitori quidem ex iure victoriae et fortioris licere

<sup>10)</sup> L. 34. D. de poenis. *Servus in opus publicum ac multo magis temporarium non datur. Cum igitur per errorem in opus temporarium fuisse datum, explato tempore, domino servum esse reddendum, respond. adde L. 35. D. et L. 23. C. Eod.*

captivo animam eripere, humanitatis autem leges aliud suadere. Sed rebus diligenter inter se comparatis quilibet captivum ab occidente non uno modo differre inveniet. Ille enim nihil sceleris, nihil flagitii commisit, hostem adoritur, cuius vitae securitatique consulere nunquam pactus est, adoritur, postquam bellum indixerat ei, qui eadem dignitate, iisdem viribus utitur. Animum nocendi una cum facultate nocendi exuit, non victoris inimicus, sed hostis fuit, cuius societati a sua societate bellum illatum est; non sua causa, non ut alteri, qua homini noceat, eum vi aperta adoritur atque armis, sed ut eius societati damnum inferat, quod aliter facere non potest, nisi singulis vim inferens.

Longe aliter vero res sese habet in paricida. Nec dicat quis, civitati solummodo ius vitae atque necis in suos esse cives, quorum malitia salus publica in periculum adducta est, non in exteriores suarum legum iuriumque expertes homines. Exterus enim atque peregrinus ab eo tempore, quo fines eiusdem reipublicae, vi paci taciti, per quod vitae securitatem nanciscitur, etiam eiusdem reipublicae civis factus est.<sup>11)</sup> Hinc nonnullorum Iurisperitorum sententia defendi possit, quae statuit, eum, qui in regione peregrina commisit, non ex legibus patriae sua, sed illius terrae, in qua flagitium perpetravit, aut saltem ex iure communni puniendum esse; nisi nonnumquam ita comparatum esset, ut leges illius civitatis, intra cuius fines crimen committitur, severiores sint, quam in patria scelus admittentis.<sup>12)</sup> Ad experientiam denique recurrent, qui supplicia omnino tollenda esse clamitant indeque argumenta haud parui, ut opinantur, momenti ducunt. Age itaque, accingamus nos ad exempla illa in medium prolati accuratius examinanda! Csabako, Aethiopum rex, victis Aegyptiis, ex-

11) *le droit des gens par Mr. Vattel Tom. I, Lie. II, ch. VIII. §. 101 et 102.*

12) Quistorps *Grundsätze des deutschen peinlichen Rechts*, I. Th. 3ter Abfchn. §. 95. Kochii *Institutiones iuris criminalis lib. I. cap. VI. §. 94.* Glück auf! *Erläuterung der Pandecten I. Th. I. Buch I. Tit. §. 44. not. 4.*

trema supplicia e terris suae potestati subiectis exulare iussit, ad opera publica maleficos condemnans. Strabone auctore ad Caucasum populi habitarunt, quibus plane ignota essent illa poenarum genera. In Russia, Elisabetha et Catharina II. Imperatricibus numquam aut rariissime locum habuerunt. Alia adhuc addam eaque recentiora exempla, quorum vulgo nulla sit mentio. Leopoldus II. in Toscana supplicium omne sustulit.<sup>13)</sup> Venetiis illud inde a quindecim annis non in usu fuisse constat. In China septuaginta annis ante abrogatum esse fertur.<sup>14)</sup>

Inestne autem his exemplis tanta vis, quanta illis tribuitur? Quid ex iis colligitur, id an iure colligi potest? Imo vero non nisi hoc: homines ab initio, quum in civitates coirent, non tot tantisque rebus indignissi, adeoque, quum cuique tantum tributum esset, quantum opus haberet, non tam vehementibus animi commotionibus, invidia, prava cupidine, luxuria, vexatos, eamque ob causam non adeo ad facinora committenda invitatos fuisse, ut societas necesse haberet, acerbissima quaevis in violatores legum statuere aut cuidam civium salutis reipublicae causam vitam auferre; itas itaque leges, quae ad illam hominum conditionem egregie accommodatae erant, nostris temporibus, nostris moribus corruptis ac depravatis minime convenire, qui alias poenas, alia imperia desiderant. Accedit, quae de remotissimis regionibus narrantur, ea valde dubia esse, ita quidem, ut auctores non suspectae fidei in China adhuc quam maxime usitata esse supplicia summa adfirment. Quod denique a Beccaria et Voltario in medium adfertur Imperatricis Elisabethae exemplum, id nullam omnino vim habet atque auctoritatem, propterea quod mansuetudo male fana aut votum inconsulto atque temere suscepimus legum bonitatem minime probat. Praeterea supplicia quidem tum, si verba spectas, vetita expulsaque fuisse,

<sup>15)</sup> Cromé Staatsverwaltung von Toscana I. Band p. 122 sq.

<sup>14)</sup> A narrative of the British Embassy to China in the Years 1792, 1793 by And. Anderson pag. 272.

gevera autem saepius crudeliusque<sup>15)</sup> exercita fuisse, quam in ulla alia terra, ubi vi legum decernuntur, rumor fertur haud vagus. Catharinam illa tantum ad quoddam tempus removisse, non plane sustulisse atque exkirpasse, id probant Pugatchevii nonnullorumque aliorum exempla. Publicis porro nuntiis, si fides est habenda, neque video cur de ea re dubitem, in Toscana iis iterum locus est datus, in Codice etiam novo Borussiaco admittuntur, ut adeo his exemplis sententiae philosophorum et pristini et recentioris aevi, quarum auctoritate sceleribus contra rem publicam et civium salutem commissis supplicia capitis sanciuntur, magis confirmantur, quam infringantur, modus tantum in poenis servetur. Noxiae, auctore Cicerone, poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur.

Quam alii a magnitudine sumtuum ad alendos homines improbos necessariorum duxerunt rationem, cur retinenda esse censerent suppicia, meam facere nolui.

Nimirum si de hominibus,<sup>16)</sup> qui nobiscum et ratione et multis aliis rebus coniuncti sunt, ad meliorem mentem, ad maiorem per-

15) Atrox huius rei exemplum refert Bellermann. Jussu illius, qui publicae securitatis curam gerit, mercator quidam loris (Knute) ita caedesbatur, ut post acerbissimos dolores vitam efflaret; carnifex tantum cavit, ne inter caeden- dum moreretur infelix.

Quis vero ex Scythia rationem emendandarum legum criminalium petet? Certe, qui hoc fecerunt, non tam de rei utilitate atque felicitate generis humani follicitos fuisse, quam de fama doctrinae atque ingenii, neminem fugit.


16) Hi sunt fere ii, quos et perversa educatio morti tamquam victimas offert, et in curia reipublicae, quae saepissime tanta est, ut consilia de humanitate sensim emendanda atque ad maiorem felicitatis gradum evehenda, qualia fuerunt

fectionis gradum perducendis agitur, nulla omnino ratio est habenda pecuniae, etiam si plus, quam ex nostris institutis quilibet conferre debet, requiratur.

Multo minus loca quaedam oraculorum divinorum v. c. Genes. IX.  
6. in subsidium vocavi, non ignarus, quam pessime saepe homines mali atque perversi abusi fuerint auctoritate litterarum sacra- rum, quas ex sua libidine interpretantes bona caussae plus obfuerunt, quam profuerunt. Quanta mala, quanta facinora ex falsa interpre- tatione oriri possint, quam densis tenebris veritas, qua Philosopho et Iurisconsulto nihil prius, nihil antiquius esse debet, inde involvatur, quivis, qui vel mediocri rerum usu subactus est, cognitum habet. In his atque similibus disquisitionibus, quae praecipue ad vitam humanam spectant, nullis aliis, nisi iis, quae sana ratio porrigit, armis est pugnandum.

Abbatis de St. Pierre, Condorceti, (*Esquisse d'un tableau historique des progrès de l'esprit humain &c.*) aliquumque Philosophorum hoc nomine vere dignorum, tandem solum, vanaque species habentur et rideantur.

1. A



kiel, Diss.; 1777-1800



3

f

Sb.





1796, 1  
22

DE

ULTIMIS SUPPLICIIS

IN

HOMICIDII REOS IURE CONSTITUENDIS.

DISPUTATIONEM

ILLUSTRI IURISCONSULTORUM KILONIENSIMUM ORDINI  
SUMMORUM IN UTROQUE IURE HONORUM  
CAPESSENDORUM CAUSSA

PROPOSUIT

HENRICUS FRIDER. CHRIST. CLAUSSEN,  
*1*  
CHILONIENSIS.

CHILONII MDCCXCVI.

EXCUDEBAT CHRISTIANUS FRIDERICUS MOHR.

*Dr. Stellgab. B. Dinkels  
1796, 1  
22*

